

# ISLANDIA

**I**SLANDIA inter varias Oceani occidentalis insulas quæ Noruegiæ Regno subie-  
ctæ sunt, est maxima: & in littoribus maris passim ab hominibus ex piscatu potissimum,  
& re pecuaria viuentibus, incolitur. Mediterræna verò loca ob alpium altissimarum perpe-  
tuis fere niuibus obrutarum asperitatem, infrequentiora sunt. Panis bis coctus (quo non nisi  
importato lautiores vtuntur: ceteri enim pisce siccato panis loco vescuntur) farina, polenta,  
cereuisia, ferrum, cuprum, pannus Anglicus & institorum merces, classibus aduehuntur quo-  
tannis per diuersos mercatores, qui vicissim piscium frigore duratorum, struces, & sulphures  
ibidem effossi moles, Balenarum pinguedinem, butyrum, seuum, coria bouum, raias & pan-  
num VVARMAN euehunt. Duo in tota insula Episcopi sunt, qui ex Academiâ Hafniens-  
i co mittuntur, quorum alter boreali insulæ parti præest, & in Halar 3: 0. 67: 14. alter meridio-  
nali in Schalholt 3: 24. 65: 42. sedem habet. Ac vterque tenuem scholam latinam ædibus ad-  
iunctam habet, in qua vigintiquatuor pueros suo sumptu alere & erudire tenetur.

Islandia (inquit Georgius Agricola) tres sunt montes elati in cælum, quorum vertices per-  
petua niue cadent, radices sempiterno æstuant igne. Primus vocatur Hecla 6: 0. 65: 39. alter  
Crucis, tertius Helga, id est sanctus. Ab Hecla non longè absunt fodiæ sulphuris, pene vni-  
cum incolarum mercimonium, & vectigal insulæ: Mercatores enim naues eo onustas eue-  
hunt. Mons ipse cum furit, vt horribilia tonitrua insonat: projicit ingentia saxa: sulphur  
euomit: cineribus egestis terram tam longè circum circa operit, vt ad vigesimum lapi-  
dem coli non possit. Qui naturam tanti incendij contemplari cupiunt, & ob id ad montem  
propius accedunt, eos vna aliqua voragoviuos absorbet; nam & multræ sunt, & cineribus  
ita tectæ, vt ab ipsis sibi satis cauere nemo possit. Atq; etiam prope exit ignis qui consumit  
aquam, & stupam non comburit. Hodie hæc insula vna cum Regno Norvvegiæ Regi Da-  
niæ subiecta est, & ab ipso Præfectum accipit, qui in arce Bestede 360: 36. 65: 21. sedem suam  
tenet.

Meridiani distant ratione 66:30. paralleli  
ad circulum maximum.

II







In lokuls fiorder et  
Ila fiorder

1 Norðfiord	5 Altafiord
2 Veiduvik	6 Seiduvik
3 Langfiord	7 Vestfiord
4 Skulufiord	8 Ksafufiord

Septentrio



Occidens

Oriens

65

65

64

64

Meridies

Miliaria Germanica  
communia



Per Gerardum Mercatorem  
Cum Privilegio



